This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Gx
9
958

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Gx 9,958

Harvard College Library

THE GIFT OF

STEPHEN SALISBURY,

OF WORCESTER, MASS.

(Class of 1817.)

18 May 1901.

XENOPHON

QUO CONSILIO COMMENTARIORUM SOCRATICORUM PRIORIBUS LIBRIS TRIBUS ADIECERIT QUARTUM ET QUA RATIONE IPSIUS LIBRI QUARTI ARGUMENTORUM ORDINEM EXCOGITAVERIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

UNIVERSITATIS LITTERARUM FRIDERICO-ALEXANDRINAE ERLANGENSIS

ARBITRIO ATQUE AUCTORITATI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA ADIPISCENDOS HONORES

PROPOSUIT ET PROBAVIT

Friedrich
FRIDERICUS SCHURR

GEISLINGENSIS.

MERGENTHEIMI
APUD E. KEYLICHIUM
MDCCCXCVII.

Gx 9.958

MAY 18 1901
LIBRARY

Salisbury fund

Colloquium habitum est a. d. VII. Kal. Aug. a MDCCCXCVII.

Impressit August Pries, Lipsiae.

PARENTIBUS

MEIS CARISSIMIS.

De Xenophontis commentariorum Socraticorum qui dicuntur Memorabilia integritate cum ante Dindorfium pauci essent qui dubitarent, ille primus in praefatione editionis Oxoniensis [1]) non minores solum libri partes, verum etiam tota capita non ab ipso Xenophonte scripta, sed ab aliis postea censuit esse addita. Cuius sententiam secutus est Schenkelius [2]), qui et novas attulit causas, cur loci a Dindorfio improbati abiudicandi viderentur a Xenophonte, et numerum illorum locorum non paucis auxit. Multo vero plura, quam Dindorfius et Schenkelius putaverunt, in commentariis inesse aut interpolata aut aliunde interposita sua uterque ratione usus et via demonstrare conati sunt Krohnius [3]) et Hartmannus [4]). Atque etiam Gilbertus [5]), quamquam modum ac numerum locorum sua sententia reiciendorum angustioribus rursus terminis circumscripsit, tamen satis multos locos a Xenophonte existimavit esse abiudicandos. Qua in re illud est mirum, quod quartum maxime commentariorum librum, de quo nobis quaerendum est, omnes illi homines docti interpolationibus refertum esse contendunt. Quid? quod, cum Krohnius, summae iudicandi acerbitatis vir, quarti libri capita 1; 6, 13—15; 7; 8, 11 ab *ἐμοὶ μὲν δὴ τοιοῦτος ὤν,* [6]) sine dubio

1) Xenophontis Memorabilia Socratis. Ex recensione et cum annotationibus Ludovici Dindorfii, Oxonii 1862, praef. p. VI sqq; cf. edit. tert. emendat., Lipsiae 1878, praef. p. IX.

2) K. Schenkl, Xenophontische Studien, Sitzungsberichte der philosophisch-historischen Classe der Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften, Wien 1875, p. 87 sqq.

3) A. Krohn, Sokrates und Xenophon, Halle 1875; cf. impr. p. 147 sq.

4) J. J. Hartman, Analecta Xenophontea, Lugduni Batavorum 1887, p. 104 sqq.

5) Xenophontis Commentarii recognovit Walther Gilbert, editio maior, Lipsiae 1888, praefatio critica.

6) cf. impr. l. c. p. 148.

Xenophontea esse iudicet, Hartmannus, qui quidem superiorum librorum maiorem partem eius scriptoris existimet esse quam ille, de toto libro quarto praeter quartum caput, quod Xenophonteum illi quidem, sed alieno loco positum videatur[1]), nihil nisi caput secundum[2]), quod reiecit rursus Krohnius, ab ipso Xenophonte scriptum, reliqua omnia ab aliis addita esse censet[3]). Quam in sententiam quaecumque argutius quam verius a viris illis doctissimis disputata sunt diversissima inter se maximeque contraria, ea singillatim persequi, persequentem refellere atque redarguere ab huius commentationis ratione ac consilio est alienum. Immo vero Sauppii, Breitenbachii, ceterorum probo sententiam exceptis paucis quibusdam locis ineptis Xenophonteque indignis vere Xenophonteos commentarios esse existimantium sic statuens, ad nostram memoriam qui proditi sunt, eosdem illos, si quidem universum librum spectaveris, compositos esse ab ipso Xenophonte. Ita autem disputationem instituamus, ut primum, quo consilio Xenophon prioribus libris tribus adiecerit quartum, deinde qua ratione ipsius libri quarti argumentorum ordinem excogitaverit, quaeramus.

Sed antequam de re ipsa dico, ut quid sit illud, de quo disputatur, explanetur, quarti libri argumentum breviter exponam necesse est. Xenophon igitur postquam cum prioribus libris conexuit quartum sicut ex illis, item ex hoc dicendo apparere Socratem iis, qui eius consuetudine uterentur, summae fuisse utilitati (c. 1, 1) — nam illo *ὠφελεῖν τοὺς συνόντας* I, 3, 1 (et III, 1, 1) quasi communi quodam vinculo inter se iuncta sunt, quaecumque usque ad tertii libri finem ab illo loco traduntur disparia et dissimilia —, eiusmodi tantum adulescentium consuetudinem exponit eum appetivisse, qui bene ad virtutem instructi essent a natura, iudicasse autem bona ingenia ex celeritate percipiendi et bona memoria et omnium utilium artium discendarum studio: tales enim, recte si instituti essent, illum arbitratum esse eos fore, qui non modo ipsi felices evaderent, sed etiam aliis civitatique felicitatis auctores exsisterent (c. 1, 2). Deinde eos ex illis, qui ultro Socratis disciplinam non sequeren-

1) l. c. p. 150 sq.
2) l. c. p. 150.
3) l. c. p. 148 sqq.

tur, non eadem omnes ratione ab eo tentatos, sed pro suo quemque ingenio ac natura aliis alium artibus, ut in ipsius disciplinam sese traderent, incitatos esse compluribus explicatur exemplis. Ac primum quidem docetur, quomodo et eos, qui bona indole confisi, et illos, qui divitiis elati, quas satis sibi esse putarent ad peragenda consilia honoremque adipiscendum, non egere sibi institutione viderentur, erroris convicerit, cum utrosque declaraverit minime posse ea supersedere (c. 1, 3—4 et 5). Deinde Euthydemi, adulescentis sine magistro reipublicae gerendae artis gnarum se esse gloriantis, exemplo ostenditur, quemadmodum Socrates adulescentes sapientiae opinione inflatos adierit, aditos disserendi arte atque subtilitate eo postremo adduxerit, ut de sua ipsi scientia desperantes earum omnium rerum, quas cognitas antea atque perspectas se habere opinati essent, plane se ignaros esse confiterentur (c. 2, 1—39). In extremo autem capite secundo refert Xenophon, cum alii multi, qui essent eodem modo atque Euthydemus a Socrate tractati, iam non ad eum se conferrent, illum, quamvis demisso primo fuisset animo, tamen summo studio ad eum sese applicavisse usum eius atque consuetudinem summae sibi utilitati fore existimantem; Socratem autem, ubi Euthydemum ita cognoverit animo affectum, mentem eius perturbare prorsus destitisse eaque, quae sciri oportere et quibus optime studium navari iudicaret, simplicissime ab illo tempore et planissime explicavisse (c. 2, 40). Neque tamen prius ad rempublicam capessendam aliasve artes eum statuisse adulescentes esse instituendos, quam animi eorum imbuti essent *σωφροσύνῃ*: cuius expertes qui illius artis periti essent, iniustiores eos illi visos esse atque ad nocendum instructiores. Ac primum quidem, ut *περὶ θεοὺς σώφρονας*, i. e. pios erga deos, familiares suos redderet, eum operam dedisse (c. 3, 1 et 2 init.). Itaque Socrates hoc capite Euthydemum docet deos generi humano consulere ob eamque causam colendos esse (c. 3, 2 sqq.). Sequenti autem capite, de quo infra[1]) pluribus nobis dicendum erit, ampliore praefixo exordio cum Hippia sophista de iustitia sive *σωφροσύνῃ περὶ ἀνθρώπους* disserens inducitur (c. 4). Deinde capite quinto Xenophon, ut *πρακτικωτέρους* illum familiares suos reddidisse demonstret, de tem-

1) p. 9 sqq.

perantia (ἐγκρατείᾳ), quam virtutem tantum ad res gerendas valere existimaverit Socrates, ut ad eam colendam et suo ipse exemplo et sermonibus institutis illos cohortari numquam desierit, cum Euthydemo eum facit disputantem (c. 5). Tum, ut διαλεκτικωτέρους quoque illum familiares suos effecisse, i. e. artem bene et recte disserendi docuisse appareat, ea, quam secutus est, disserendi ratio, cui ipse plurimum tribuisse Socrates praedicatur (c. 6, 1), exemplis aliquot demonstratur Socraticarum definitionum, cum nonnullarum rerum notiones Socratis cum eodem Euthydemo sermonibus diligentius explicantur, reliquarum summatim definiuntur (c. 6, 2—11 et c. 6, 12). Extremo autem eodem capite exponitur, quam ingressus sit refellendi docendique rationem, cum aut alius quis ei oblocutus esset aut ipse, Socratem dico, oratione aliquid persequeretur (c. 6, 13—14 et c. 6, 15). Contra septimo capite verbis quibusdam propositis ad secundi capitis paragraphum quadragesimam referendis illud quoque Socrati ostenditur curae fuisse, ut familiares sui apti fierent, qui ipsi per se nullius adiumento suas officii partes exsequerentur (αὐτάρκεις ἐν ταῖς προσηκούσαις πράξεσιν): quae virum bonum scire oporteret, ea, quae quidem ipse sciret, promptissimo eum animo docuisse, quae autem ipse minus cognovisset, ut discerent, ad peritos eos deduxisse (c. 7, 1). Atque quatenus cuiusque artis hominem recte institutum peritum esse oporteret, id quoque eum docuisse geometriae, astronomiae omnisque physiologiae, arithmeticae exemplis ostenditur, cum ad ipsum vitae usum omnem scientiam atque disciplinam ita exponitur illum rettulisse, ut supra nihil esset discendum (c. 7, 2—8). Deinde valetudinis etiam curam studiosissime eum docetur commendasse (c. 7, 9). Ad postremum, si quis maiores res quam pro humana intellegentia appeteret, ei illum, ut divinationi operam daret, suasisse additur (c. 7, 10). Postremo libri capite demonstratur Socratem, quia capitis ab iudicibus damnatus sit, idcirco minime erroris[1]) de daemonio

---

1) Postquam ab initio non dubitavi, quin in verbis (c. 8, 1) αὐτὸν ἐλέγχεσθαι περὶ τοῦ δαιμονίου ψευδόμενον vocabulum ψεύδεσθαι non mentiri, sed falli sive errare interpretandum esset, iuvit me aliquem hominem doctum invenire, qui illud verbum in eandem sententiam acciperet (Th. Birt, De Xenophontis Commentariorum Socraticorum compo-

convinci, cum illud sibi, quid faciendum esset, quid omittendum, significare solitus sit dicere (c. 8, 1—10). Ad extremum Socratis virtutum enumeratione argumenta commentariis tractata breviter repetuntur (c. 8, 11).

Exposito igitur quarti commentariorum libri argumento illud primum explicandum est, quo consilio ipsum librum quartum prioribus Xenophon adiecerit.[1]) Quam quaestionem non ita instituendam esse, ut toti libro quarto perscrutando operam navemus, ex ipsa illius ut postremi amplioris operis libri natura apparet. Ac posteriorem capitis octavi partem[2]) ad quattuor omnes libros, non quartum solum pertinere supra dictum est[3]); quae vero superiore eiusdem capitis parte[4]) idcirco exponuntur, ut Socratem capitis condemnatum de daemonio erravisse non convinci demonstretur, ea ab illo, quod Xenophon in quarto libro scribendo proprie secutus est, consilio, ut institutionis Socraticae imaginem exhiberet[5]), prorsus abhorrere facile intellegitur: verumtamen, sive illud de daemonio c. 8, 1 ex multis saepe tum audiebatur sive qua alia causa adductus Xenophon uberius de ea re sibi exponendum esse duxit, haud sane inepte mihi quidem illa videntur inter ea, quae de divinatione traduntur c. 7, 10, et proprium universi operis epilogum (c. 8, 11) interposita esse, quippe quae ad mortem pertineant Socratis. Sic igitur existimo, illa, quae quarto libro Xenophon sibi proposuerit tractanda, septimo iam capite confecta atque absoluta, quae inde usque ad finem libri leguntur, ea addita esse ad opus concludendum. Iam vero de quarto eiusdem libri capite accuratius paulo hoc loco liceat mihi explicare. Atque ut non dicam de prooemio § 1—5 *πολλάκις*, et epilogo § 25: *Τοιαῦτα λέγων τε καὶ πράττων δικαιοτέρους ἐποίει τοὺς πλησιάζοντας*, quae non ab ipso Xenophonte, sed ab alio quo scripta

---

sitione, Marpurgi 1893, p. XVIII, annot. 1); ita autem interpretantibus nobis cur illo auctore *περὶ* utique delendum sit, quoniam de errore quoque *ψεύδεσθαι περί τινος* usurpatum videmus, non intellego.

1) cf. p. 11 sqq.
2) c. 8, 11.
3) p. 9.
4) c. 8, 1—10.
5) cf. p. 11.

esse Geelius[1]) — et hic quidem prooemium solum —, Dindorfius[2]), Schenkelius[3]) satis certis argumentis mihi videantur demonstrasse, de ipso Socratis cum Hippia sophista de iustitia sermone ita Breitenbachii[4]) probo sententiam, ut non simul cum ceteris eiusdem libri sermonibus, sed postea eum a Xenophonte conscriptum atque, cum magis idoneus locus deesset, ea sola de causa, quod ut superiore capite *εὐσέβεια*, i. e. *σωφροσύνη περὶ θεούς*, sic quarto *δικαιοσύνη*, i. e. *σωφροσύνη περὶ ἀνθρώπους*, tractetur, illo loco insertum esse pro certo habeam. Nam ut plura non dicam, primum illa disputatione quattuor illorum sermonum cum Euthydemo a Socrate habitorum ordo, quorum ii ipsi, qui capitibus tertio, quinto, sexto continentur, quasi artissimo vinculo inter se cohaerent, mirum in modum interrumpitur. Deinde tota illa disputatio a ratione ac consilio quarti libri, qui quidem est de disciplina Socratis, vel maxime abhorret. Atque Hippiam sophistam non modo adulescentibus, qui a Socrate tentati discendi causa ad eum sese applicaverant, sed ne iis quidem, qui familiaritate eius utebantur, annumerari posse ex se intellegitur. Iam vero illud Socratem spectasse, ut vanissimum illum superbissimumque sophistam ad virtutem perduceret vel iustitiam, id quod interpolator vult (c. 4, 25 extr.), qui qualis esset absurdo illo *τε καὶ πράττων* addito ipse satis aperuit, cum nihil per se habeat probabilitatis, tum minime id eum illa disputatione sibi voluisse ex ipso sermone manifesto apparet: immo vero illud sine dubio eo sermone demonstrare vult Xenophon, tantam Socratis fuisse artem disserendi, ut vel acerrimos adversarios velut sophistam illum nobilissimum facillime convinceret atque redargueret. Accedit, quod Xenophon, si postea illam cum Hippia disputationem eo loco inseruit, superiorem primo servavit argumentorum ordinem, cum ut aliis

---

1) J. Geel, De Xenophontis Apologia Socratis ac postremo capite Memorabilium commentatio, Lugduni Batavorum 1836, p. VII sqq.

2) praef. p. VII sqq.

3) l. c. p. 129 sqq.

4) L. Breitenbach, Xenophons Memorabilien, sechste Aufl. bearb. von Dr. R. Mücke, Berlin 1889, praef. p. 10 annot. et append. crit. ad IV, 3.

commentariorum locis[1]), sic in quarto libro εὐσέβειαν ἐγκρατείᾳ voluit excipi.

Quoniam igitur non modo octavum quarti libri caput, sed etiam disputationem illam cum Hippia sophista a Socrate habitam, quae capite quarto continetur, a propria quarti libri ratione ac consilio, quem in institutione Socratica versari supra dictum est[2]), abhorrere demonstravimus, nunc de illo ipso consilio duobus locis ita explicemus, ut priore loco ea, quae hoc libro tractantur eo spectantia, per se ipsa consideremus, altero de comparatione eorum cum iis, quae in superioribus libris leguntur eodem pertinentia, disseramus. Primum igitur, quid ex ipso quarto libro de Xenophontis in eo conscribendo consilio effici possit, videamus. Atque illud primum eum secutum esse, ut disciplinae Socratis illo libro imaginem exhiberet, cum ex ipsis primis duobus capitibus, quibus, quales ille adulescentes elegisset, electos quibus artibus, ut in ipsius disciplinam se traderent, cohortatus esset, explanavit, facile possit intellegi, tum multo magis apparet ex iis, quae inde leguntur de institutione ipsa, ut iam nemo intellegens illud possit dubitare. Imprimis autem quid sibi Xenophon in quarto libro scribendo proposuerit, ex his ipsis capitibus, tertio dico, quinto, sexto, septimo, quorum superioribus tribus, quemadmodum ad reipublicae gerendae artem adulescentes instituisset Socrates, Euthydemi exemplo explicavit, septimo, quae ille de reliquis artibus maximeque elegantioribus quae dicuntur iudicasset, paucioribus absolvit, plane mihi videtur apparere. Id enim in disciplina Socratis quarto libro describenda Xenophontem arbitror praecipue spectasse, ut illum certa quadam ratione ac via et ad omnem virtutem familiares suos informasse et, ut cum ad privatam, tum ad publicam maxime vitam bene instituendam[3]) apti fierent, ea tantum, quae ad ipsum vitae usum pertinerent, docuisse ostendendo, quam inania quamque iniusta crimina illa

---

1) I, 1 et I, 2, 1—8; I, 3, 1—4 et I, 3, 5—7 vel 14; I, 4 et I, 5 sqq.

2) p. 9.

3) Reipublicae gerendae arti longe plurimum Socratem tribuisse vel inde potest intellegi, quod, cum reliqua omnis disciplina uno capite absolvatur septimo, Euthydemo ad illam artem instituendo tria capita danda esse Xenophon duxit; ceterum cf. imprimis II, 1, 17 et IV, 2, 12.

fuissent publice maxime in eum coniecta, cum impietatis, tum corruptae iuventutis crimen[1]), convinceret. Ac primum quidem tertio capite et quinto illud sine dubio ostendere voluit, Socratem, cum in familiaribus instituendis a pietate erga deos ut fonte et capite omnis disciplinae statueret ordiendum[2]), tum ad ἐγκρατείας studium, quam alio quodam loco[3]) ἀρετῆς κρηπῖδα vocat, eos cohortaretur, non modo non corrupisse adulescentes, verum etiam ad summam virtutem honestatemque excitasse atque perduxisse. Simul autem sic lectores colligere Xenophontem voluisse eodem iure dici potest, qui talia docuisset de dis, qualia Socratem facit docentem, eum impietatis quoque falso esse accusatum. Sexto autem capite id potissimum Xenophon mihi videtur spectasse, ut ea, quam Socrates in familiaribus suis ad artem bene et recte disserendi instituendis secutus esset, proposita ratione, quantum interesset inter illius et sophistarum qui dicuntur disputandi disciplinam, demonstraret. Atque sophistas non id egisse, ut veritatem explorarent, sed summa verborum sententiarumque varietate de omnibus rebus in contrarias partes disputarent eamque discipulos suos docerent artem, quin etiam docere se professos esse, quemadmodum inferior causa dicendo fieri posset superior (τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν), quis est, qui nesciat? Contra Xenophon cum exordio[4]) iisque, quae de Socratis refellendi docendique ratione addidit in extremo capite[5]), tum maxime definitionum illarum Socraticarum exemplis[6]) nihil eum in disserendi arte docenda antiquius habuisse, quam ut veritatem ipsam, non speciem veritatis cum familiaribus suis certa quadam et eadem semper ratione ac via[7]) exploraret, propterea mihi videtur demonstrare voluisse, ut

1) Ipsa actio I, 1, 1 quibus verbis composita fuerit (cf. M. Schanz, Sammlung ausgewählter Dialoge Platos, drittes Bändchen: Apologie, Leipzig 1893, praef. p. 12 sqq.), nihil ad rem: scilicet hoc loco nihil agitur, nisi quomodo ipse Xenophon rem intellexerit et intellegi voluerit.

2) c. 3, 1.

3) I, 5, 4.

4) c. 6, 1; cf. imprimis: τους δὲ μὴ εἰδότας (sc. τι ἑκαστον ειη τῶν οντων) οὐδὲν ἔφη θαυμαστὸν εἶναι . . . καὶ αλλους σφάλλειν.

5) c. 6, 13—14 et 15.

6) c. 6, 2—12.

7) cf. imprimis definitiones c. 6, 2—4; 5—6; 7; 10—11; denique 12; postremo cf. Breitenb., praef. § 8 extr. cum annot.

lectores illius disputandi disciplina cum sophistarum comparanda minime ab eo iuventutem corruptam esse intellegerent. Restat, ut, quid ex iis, quae septimo capite de reliqua Socratis disciplina Xenophon memoriae prodidit, colligi possit, videamus. Ac primum quidem cum id quoque illum maxime operam dedisse, ut familiares sui apti fierent, qui ipsi per se nullius adiumento suas quisque officii partes exsequerentur [1]), quin etiam valetudinis curam iis commendasse rettulit [2]), illud eum demonstrare voluisse facile intellegitur, Socratem iis, qui familiaritate eius uterentur, non modo non nocuisse, verum etiam optime de iis meruisse. Atque quod ex elegantioribus studiis artibusque velut geometria, astronomia, arithmetica ea tantum esse discenda, quae ad ipsum vitae usum spectarent, Socratem docuisse tradidit [3]), quippe qui eos, qui in illis artibus, geometria imprimis et astronomia, quae duae artes tantum requirerent laboris et operae, in quibus tota vita humana facile consumeretur [4]), longius progrederentur, nullum inde fructum capere et, quominus alia multa discerent utilia, impediri iudicaret, illud non potest dubitari, quin cum sophistis, qui in illis artibus penitus pernoscendis atque docendis summum studium collocavissent, Socratem nequaquam comparandum esse et adulescentes, qui cum eo essent, adeo non corrupisse demonstrare voluerit, ut rectissima eos et simplicissima ratione ad omnem rem gerendam perduxisse esset existimandus. Ac ne illud quidem dubito, quin praeter Anaxagoram illum, de quo infra [5]) paucis nobis dicendum erit, talia docens Socrates cum alios quosdam sophistas [6]), tum Hippiam, quem bis minimum Athenis versatum [7]) et illarum ipsarum artium scientia maxime gloriatum esse [8]) constat,

1) c. 7, 1.
2) c. 7, 9.
3) c. 7, 2—5 et 8.
4) c. 7, 3 et 5.
5) p. 14.
6) Physicos ut Anaxagoram et eos, qui proprie nominantur sophistae, velut Hippiam primo non distinctos, sed communi sophistarum nomine omnes philosophos comprehensos esse satis constat; ex ipsis commentariis cf. I, 1, 11.
7) Mem. IV, 4, 5.
8) E. Zeller, Die Philosophie der Griechen, erster Theil, dritte Auflage, Leipzig 1869, p. 876 ann. 2.

cum animo spectaverit, tum, id quod ex ipsius Anaxagorae exemplo [1]) apparet, etiam verbis designaverit atque nominaverit. Nec vero solum a corruptae iuventutis, sed etiam ab impietatis crimine ut septimo capite Socratem defenderet, Xenophontem sibi proposuisse ex eo loco, quo quae ille de universis physicis tradidisset addidit [2]), manifesto apparet. Nam quod ab omni rerum caelestium investigatione, quoniam a dis humanae menti reconditae atque involutae perspici neque possent neque deberent, Socratem familiares suos acerrime dehortatum esse rettulit, mirum in modum id congruit cum iis, quae ipse Xenophon in primo commentariorum capite [3]) ad Socratem ab impietatis crimine defendendum exposuit. Anaxagoram vero, cuius exemplo [4]), quae Socrates de iis, qui physicarum, imprimis caelestium rerum naturam sibi investigandam proposuissent, et ipse iudicasset et familiares docuisset, accuratius explicavit Xenophon, si quis reputaverit, postquam unus omnium summa sapientiae laude excellens et cum Pericle artissimo amicitiae vinculo coniunctus magnam vitae partem Athenis degit, postremo impietatis accusatum ex ea urbe fugisse [5]), minime eum puto dubitare posse, quin Xenophon cum iis, quae de universis elegantiorum artium studiis Socratem rettulit docuisse, corruptae iuventutis, tum iis, quae proprie de astronomia omnique physiologia ille tradidisset, impietatis quoque falso eum accusatum esse voluerit demonstrare. Denique quae in extremo capite septimo [6]) de *μαντικῇ* leguntur, quamquam negari non potest ea potissimum de causa a Xenophonte ea addita esse, ut inde quoque, quam iniustum fuisset illud corruptae iuventutis crimen, cognosceretur, tamen alterum simul eum spectasse crimen publice maxime in Socratem collatum, si quidem quae in eodem commentariorum capite primo [7]), ut hoc ipsum impietatis crimen dilueret, Xenophon de divinatione pluribus exposuit similia comparaveris, non minus apparet.

---

1) c. 7, 6 et 7.
2) ibidem.
3) I, 1, 11 sqq.
4) c. 7, 6—7.
5) cf. Zeller l. c. p. 791 annot. 1.
6) c. 7, 10.
7) I, 1, 6 sqq.

Videamus nunc, quid ex comparatione eorum, quae quarto libro tractantur, cum iis, quae in prioribus libris leguntur eodem pertinentia, colligi possit. Atque maxime illos inter se discrepare, si quis aliquid operae iis legendis dedit, non potest non sentire. Quid? quod tantum inter illos mihi videtur interesse, ut, quartus liber quin post superiores scriptus sit, minime possit dubitari. Xenophon enim cum et in primo libro Socratem cum sophistis, qui mercedem pro disciplina accipere soliti essent, nequaquam conferendum esse iterum ac saepius gravissime monuerit[1]) ipsumque praeceptorem esse noluisse plane praedicaverit[2]) et per omnes tres libros priores, ubicumque eorum, qui consuetudine eius ac disciplina utebantur, mentionem facit, et vocabulum *διδάσκαλος* et *μαθηταὶ* diligentissime vitaverit hosque *συνόντας, συνδιατρίβοντας, συνουσιαστάς, ἑταίρους, ὁμιλητάς, φίλους, γνωρίμους, ἐπιτηδείους* Socratis vocaverit, totus liber quartus excepto quarto capite[3]) in nulla alia re nisi in ipsa Socratis versatur disciplina. Qui cum in prioribus libris nusquam certa quadam via ac ratione familiares suos instituens, sed, nisi ipse de qua re perpetua disserit oratione, cum aliis semper eorum disputans, quin etiam permagnam partem cum omni genere hominum de omnibus rebus sermones conferens inducatur, ita tamen, ut familiares eius nihil ipsi loquentes audiendi causa interesse eoque modo, id quod identidem praedicatur, ex illis sermonibus fructum capere soleant — nam hanc audiendi utilitatem Xenophon praecipue spectat illo *ὠφελεῖν τοὺς συνόντας* (I, 3, 1) —, quarto libro primum, quales ille adulescentes elegerit, electos quemadmodum ad se allicuerit, deinde qua ratione eos ad reipublicae gerendae artem omnemque rem gerendam instituerit, unius magna ex parte Euthydemi exemplo demonstratur simulque certa quadam et eadem semper ratione et via in adulescentibus instituendis illum usum esse non semel plane dicitur[4]), cum ne hoc quidem in libro vocabula *διδάσκαλος* aut *μαθηταὶ* usurpentur et, quasi eadem res porro tractetur, non quasi nova quaedam longeque alia res tractari incipiat, transitus parandi causa liber illo *ὠφελεῖν τοὺς*

---

1) I, 2 sqq. et 60; 5, 6; 6, 3 sqq. et 11 sqq.
2) I, 2, 3.
3) cf. p. 9 sqq.
4) cf. impr. 2, 40; 3, 1; 7, 1.

συνόντας cum prioribus sit conexus.[1]) Accedit, quod omnes fere res, quae per quartum librum tractantur, in prioribus iam libris aliquo modo tractatae sunt; an censes, ut plura non dicam, Xenophontem, si ab initio tota Memorabilia uno tenore scripsisset, id quod ne in primos quidem duos libros quadrare constat[2]), bis eadem eaque eadem fere ratione velut illos de *εὐσεβείᾳ* cum Aristodemo (I, 4) et Euthydemo (IV, 3) sermones Socratis propositurum aut ea, quae III, 9 de notionibus Socraticis leguntur, hoc loco inserturum fuisse, si accuratius postea diligentiusque de ipsa Socratis disserendi ratione, sicut quarti libri capite sexto fecit, a principio voluisset explicare? Denique postremo tertii libri capite (III, 14), postquam sub finem libri liberius res disponi coeptae sunt, universum opus confectum atque absolutum videtur, ut novum librum additum esse nemo non possit mirari. Quae cum ita sint, quin quartus liber non simul cum ceteris scriptus, sed postea additus sit, minime potest dubitari. Qua autem re Xenophon adductus quartum librum prioribus videtur adiecisse? Quod certo confici posse non puto equidem. Nam compluribus causis, ut illud faceret, censeo eum adduci potuisse. Sic enim existimo, aut ipsum Xenophontem, postquam tres libros composuit, nisi disciplinam quoque Socratis descripsisset, parum integram summi illius philosophi praeceptorisque imaginem se lectoribus proposuisse intellexisse aut aliorum causa quartum librum adiecisse, sive alii Socratici, ut Plato, Aeschines, Antisthenes, qui, qualis Socrates fuisset, melius sibi cognovisse viderentur, quod parum id perspectum haberet, crimini ei dedissent sive eosdem, cum multa iam de Socrate memoriae prodidissent, studeret aemulari.

Atque ut ad alterum huius commentationis locum veniamus, qua ratione quarti commentariorum libri argumentorum ordinem Xenophon excogitaverit, quaeramus. Equidem eodem ordine, quo tradita sunt, argumenta per quartum librum tractata ab ipso Xenophonte puto conscripta esse. Nam quae a compluribus hominibus doctis prolata sunt, ut alium atque traditum argumen-

---

1) cf. p. 6.

2) cf. impr. Schanzium l. c. p. 22 sqq. et A. Doeringium, Die Lehre des Socrates als sociales Reformsystem, München 1895, p. 103 sqq. (et p. 290 sqq.).

torum ordinem ab illo excogitatum esse appareret, tam levia sunt, ut facile possint refelli. Ac primum quidem id mihi admonendum est, iis, quae supra[1]) de quarto capite, quo Socratis cum Hippia sophista disputatio continetur, exposui, simul ea, quae Dindorfius[2]), ut ipsum quartum caput cum secundo coniungendum demonstraret, disseruit, satis esse refutata. Iam ne Schenkelii probes sententiam, qui septimum caput ad ipsum secundum adiungendum sextumque post septimum inserendum esse censuit[3]), illud primum obstat, quod assentienti tibi in hoc quoque assentiendum sit, capita tertium et quintum non ab ipso Xenophonte scripta, sed ab alio quo esse interposita, id quod nemo eorum, qui accuratius de quarto libro disseruerunt, satis certis argumentis demonstravit. Deinde quamquam concedendum est verba: *Ὅτι μὲν οὖν ἁπλῶς τὴν ἑαυτοῦ γνώμην ἀπεφαίνετο Σωκράτης πρὸς τοὺς ὁμιλοῦντας αὐτῷ,* c. 7, 1 ad verba c. 2, 40: *ἁπλούστατα καὶ σαφέστατα ἐξηγεῖτο* . . . referenda esse, tamen Hartmannus[4]) recte vidit ineptissime post secundum caput secutura esse illa verba, quae in capitis septimi initio leguntur: *Ὅτι μὲν οὖν ἁπλῶς . . . αὐτῷ, δοκεῖ μοι δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων εἶναι,* propterea quod verba: *ἁπλούστατα καὶ σαφέστατα ἐξηγεῖτο* . . . ad illud solum tempus, ex quo adulescentes ut Euthydemus discendi causa totos se ad Socratem applicaverant, non ad ipsam disputationem c. 2, 8—39 possunt pertinere, qua quidem disputatione non illud demonstrare vult Xenophon, simpliciter eum et plane, quae cognitu utilia duceret, explicavisse, sed qua disserendi ratione adulescentes nimia suae sapientiae opinione inflatos erroris convicerit et, ut plane se nihil scire confiterentur, adduxerit. Immo vero cum omnia illa verba, quae in initio capitis septimi leguntur, tum haec: *δοκεῖ μοι δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων εἶναι* ad iustam illam Euthydemi institutionem (c. 3, 5, 6) referenda eoque magis suo loco posita sunt, quod septimo capite omisso Euthydemi exemplo ad reliquam Socratis disciplinam transitur. Denique ne illud quidem neglegendum est, vel eo, quod c. 3, 1 verba *καὶ μηχανικοὺς* post *λεκτικοὺς καὶ πρακτικοὺς* po-

1) p. 9 sqq.
2) praef. p. X sq.
3) l. c. p. 132 sq.
4) l. c. p. 116.

sita sunt — illud autem *μηχανικοὺς* verbis *αὐτάρκεις ἐν ταῖς προσηκούσαις πράξεσιν* c. 7, 1 planius explicari facile intellegitur —, traditum capitum sexti et septimi ordinem videri significari.[1]) Postremo quod Birtius[2]) sextum caput ante quintum collocandum iudicavit propter eorum verborum, quae c. 3, 1 leguntur: *Τὸ μὲν οὖν λεκτικοὺς καὶ πρακτικοὺς . . γίγνεσθαι τοὺς συνόντας . . .*, ordinem, ne hoc quidem probandum est. Nam praeterquam quod ei, qui ceteris commentariorum locis[3]) servatus est, ordini ille repugnaret, non modo *εὐσέβεια*, i. e. *σωφροσύνη περὶ θεούς*, (c. 3) et *ἐγκράτεια*, i. e. *σωφροσύνη περὶ αὐτούς* sive *περὶ ἡδονάς*, (c. 5) coniuncta et bene et recte disserendi arti (c. 6) opposita sint necesse est, sed etiam idcirco Xenophontem illo verborum ordine c. 3, 1 usum esse veri simile est, quod *λέγειν τε καὶ πράττειν* (cf. ex ipso libro quarto c. 2, 1 et c. 2, 6) scribentis animo obversaretur vel, si quis id mavult, disserendi arti (c. 6) plus tribueret quam temperantiae (c. 5).

Sequitur quarti commentariorum libri dispositio, qualem quidem ego a Xenophonte excogitatam esse censeam:

I. Prooemium (c. 1, 1).

II. Tractatio (de disciplina Socratis) (c. 1, 2—7, 10).

A) Quales Socrates adulescentes elegerit (c. 1, 2).

B) De adulescentibus instituendis (c. 1, 3—7, 10).

1) *Quomodo eos allicuerit* (c. 1, 3—2, 39):

quibus artibus eos illorum, qui ultro ipsius disciplinam non sequerentur, ad se allicuerit, nec vero modo

a) eos, qui

α) bona indole confisi, eosque, qui

β) divitiis elati institutione non egere sibi viderentur (c. 1, 3—4 et c. 1, 5),

sed etiam

b) eos, qui sapientiae opinione inflati omni iam disciplina se supersedere posse opinarentur: hos

---

1) Ceterum cf. quae statim sequuntur.

2) l. c. p. XVI.

3) cf. p. 11, ann. 1.

quomodo adierit, aditos tractaverit, Euthydemi, adulescentis sine magistro reipublicae gerendae artis gnarum se esse gloriantis, exemplo copiosius explicatur (c. 2, 1—39).

Accedit c. 2, 40.

2) *De ipsa institutione* (c. 3; 5; 6; 7).

a) Euthydemi ad rempublicam capessendam instituendi exemplo demonstratur, qua ratione Socrates adulescentes

α) ad pietatem erga deos (c. 3)[1],

β) ad temperantiam (c. 5),

γ) ad artem bene et recte disserendi (c. 6, 1—12) — adduntur nonnulla de Socratis refellendi docendique ratione (c. 6, 13—14 et 15) — instituerit;

b) ad extremum septimo capite id quoque Socrati curae fuisse ostenditur, ut familiares sui apti fierent, qui ipsi per se nullius adiumento suas officii partes exsequerentur (c. 7, 1); atque

α) quatenus cuiusque artis hominem recte institutum peritum esse oporteret, id quoque eum docuisse

αα) geometriae (c. 7, 2—3),

ββ) astronomiae (c. 7, 4—5) (de universis autem physicis quid Socrates tradiderit, interponitur et Anaxagorae exemplo explicatur c. 7, 6—7),

γγ) arithmeticae (c. 7, 8) demonstratur exemplis;

β) deinde valetudinis quoque curam studiosissime eum docetur commendasse (c. 7, 9);

γ) postremo, si quis maiores res quam pro humana intellegentia appeteret, ei illum, ut divinationi operam daret, suasisse additur (c. 7, 10.)

---

1) De quarto capite cf. p. 9 sqq.

III. Epilogus (c. 8).

Quoniam igitur priore huius commentationis loco, quid in quarto commentariorum libro conscribendo Xenophon secutus esset consilii, vidimus, altero, quanta diligentia quantaque elegantia eiusdem libri quarti, qui vel eo multum praestat ceteris, quod quarto capite excepto una in re totus versatur, argumentorum ordinem excogitavisset, nobis licuit admirari.

VITA.

Natus sum Guilielmus Fridericus Schurr Geislingae, in oppido Virtembergiae, a. d. XI. Kal. Mart. anni h. s. LXV. patre Friderico, matre Anna e gente Doll, quos etiamnunc viventes grato pioque animo colo ac veneror. Fidei addictus sum Christianorum, confessioni evangelicae.

Ac primis litterarum elementis in ludo litterario patriae imbutus primum paedagogium Geislingense, deinde lyceum Nurtingense, postremo gymnasium frequentavi Ulmense, quod tum florebat rectore HERMANNO BENDERO, viro et summa doctrinae laude et egregia docendi arte excellenti, quem nuper immaturam mortem obisse magnopere doleo. Iam vero anno LXXXIII. maturitatis testimonium assecutus Tubingam me contuli et in civium academicorum almae matris numerum receptus sexies senos menses philosophiae maximeque antiquitatis studiis operam dedi; docuerunt me viri doctissimi: GELDNER, DE GUTSCHMID, HERZOG, ROHDE, SCHWABE, SIEVERS, SIGWART, quibus viris omnibus maximam debeo gratiam. Examine autem publico vere anni LXXXVIII. bene peracto postquam in compluribus patriae scholis latinis gymnasiisque ad tempus praeceptoris vicarii munere functus sum et Monachi annum scholae privatae praefui, abhinc sex annos praeceptoris auxiliaris scholae latinae Mergentheimensis munus ad me est delatum, quo etiamnunc fungor.

JUN 28 1912

Gx 9.958
Xenophon quo consilio Commentarioru
Widener Library 006906975
3 2044 085 177 939